

IV. *De Sciuro volante, sive Muro Pontico, aut Scythico Gefneri, & Vespertilione admirabili Bontij Dissertatio, per Dⁿ. Hans Sloane, Bart. Pr. R. S. à Jacobo Theodoro Klein, Reip. Gedanens. à Secret. R. S. S. communicata. Vide Fig. 1, 2, 3.*

MULTAS fabulas circa animalia alata & volatilia irrepisse in Historiam naturalem, nemo inficias ibit, qui præjudiciis, autoritate atque ingeniosis veterum figmentis, nec non quandoque narrationibus & Testimoniis credulæ plebis non obcœcatus, rem ipsam penitiùs inspexit.

Optandum foret, ut hujusmodi & plures aliæ fabulæ, ad severius examen revocatæ nullum aliquando locum in Historiâ naturali invenirent, quo ipso illis, qui minùs cautè talia evolvunt, ansa præcideretur, nescio, quot, & quales Dracones, Basiliscos, Gryphos, & sexcenta alia hujus generis portenta effugendi, unde non solum inductæ plebi, sed & illis, qui supra vulgus sapiunt, pro ipsâ quandoque Cathedrâ Ecclesiasticâ, bonâ licet fide, egregiè tamen imponi solet.

Ejusmodi Veterum relationes ad tædium usque fabulosas confutare quidem aggressi sunt Clarissimus *Scheuchzerus in Jobi Physicâ sacrâ, p. 257. seq.* nec non, *Hyacinthus Gimma, Dissertatione secundâ Physico-Historico-Experimentali, de fabulosis Animalibus*

2

malibus, pacem verò ex victoriâ vix reportaturi, quamdiu præjudicia debellare non valebunt; tantum enim præjudicata opinio potest, ut etiam sine ratione valeat autoritas.

Quod autem in specie ad Quadrupeda volantia attinet, eorundem utique nonnulla dari, experientia docet. Ipsi Vespertiliones, nobis, et Incolis utriusque Indiæ obvii, qui, si non ingredienti, perrepantes tamen Quadrupedes dici possunt, [*Vid. Gesnerus, de avibus, p. 695.*] causam eorum agere videntur. Præter hos, peculiare volaticum genus Lacertorum locum sibi vindicat, sub nomine Lacerti volantis sive Dracunculi alati, in Java admodum familiaris. Hunc quidem Belonius in singularibus observationibus suis bipedem in effigie repræsentat, cui verò Piso in Bontio, & alij, rectè contradixerunt; Et sanè ipsi Dracunculi, in variis Mufeis asservati, plenissimè fidem faciunt, se esse Quadrupedes, prout & in meâ Animalium Exoticorum collectione, bini Dracunculi alati, & quidem Mas & Fœmina, (uterque Quadrupes) occurrunt.

Hæc Quadrupeda propriè dicuntur volatilia, quod re ipsâ volent, id est, huc illuc in aëre liberè vagentur.

Impropriè autem volitare dicuntur ejusmodi Quadrupeda quæ arbores plerumque incolunt, uti sunt, Sciuri vulgares, & alij hujus generis mures, Martes Alpinae, & Scythicae, &c, imò, plura alia, quæ in sylvis, per distantia invicem arborum cacumina salientes, quasi volare videntur.

Inter hæc verò jure suo eminent, *Sciuri sic dicti volantes*, quod quasi velo quodam, vel peculiari instrumento volatorio, præ aliis instructi sint.

Alterum horum invenio in *Catalogo & Descriptione Animalium Levini Vincentij*, 1726, p. 8. *Centur. primâ, Num. 92.* Sub nomine: *Sciurus Virginienfis volans*, sine ulteriori descriptione; Interim Amicus quidam mihi retulit, Dominum * * * * Londinensem, Sciurum Virginiensem habuisse, qui per integram Hyemem dormitans, nonnisi admoto calefactorio quodam evigilaret, ubi pedem unum alterumque moverat, usque dum plenè expergefactus, vitam rursus agere videretur.

Alterum in Grewij Museo regalis Societatis, p. 20, sub nomine, *Flying Squirrel*; quem Autor pro animali habet, quod sub nomine Felis volantis designat Scaliger Exerc. 217. §. 9.

Alterum exhibit Lawsonius in historia Provinciæ Carolinae Indiæ Occidentalis; Alterum denique *Gesnerus de Quadrup. p. 743.* MUREM PONTICUM AUT SCYTHICUM SIVE SCIURUM VOLANTEM ET LATUM, appellat. Animal ipse non vidit, sed tantum Cutem ejus expansam, quam etiam delineandam curavit. Dabo aliquam hujus ultimi Historiam. Superiori anno 1727, 19 Martij, Serenissimo Poloniarum Regi Augusto II, duo ejusmodi Sciuri volantes vivi à Capitaneo Minscensi, Joanne Ignatio Zawifza, Varaviae fuerant oblati; hos observavit, & alterum eorundem mortuum, examini subjecit Magnus à Heucher, Consiliarius Aulicus, & Archiater Regius, ejusdemque figuram

corporis expansi, nec non Sceleton delineatum Fig. 2, 3, pro humanitate suâ, mecum communicavit.

Eodem anno, Celsissima Princeps Radzivilia, supremi olim Cancellarij, Magni Ducatûs Lithuanix Illustrissima Conjux, Hortum & Muscum meum præfentiâ suâ illustrans, ejusmodi animalculum vivum mihi promiserat, quod etiam præteritâ ætate, anni præsentis, 1728, curante Clarissimo Floercke, M. D. & Archiatro Principis, obtinui, vitam adhuc agens.

Quod ad Patriam ejus attinet, ortum suum habet ex sylvis Capitaneatûs Kriczovienfis, Districtus Mohiloviensis, in confiniis Russiæ.

Ajunt autem Mohilovienses, hæc animalia cavas inhabitare quercus, & Musco Betularum congesto, eidem se involventia, per integram diem dormire, noctu verò lætari, escamque sibi quærere; Hinc fieri, ut

Sequentem in modum capiantur : Ubi Venatores judicant, Sciurum latitare, in quâdam arbore cavâ, retia ad foramina ex arbore excuntia applicant, & circa radicem arboris, ad truncum cavum ignem excitant; quamprimum ergo fumus in arborem surgit, & cavitates permeat, illicò Sciuri derelinquunt nidum, retibusque irretiti, in terram decidunt, & Venatoribus in prædam cedunt.

Naturalem magnitudinem illius, quem habeo Fig. 1. exprimit. Minor itaque est Sciuro vulgari, major mure Avellano, nostras sylvas frequentantibus (Nostratibus Sciuri volantes Reges familiæ suæ, Koenige der Grauwærcke, audiunt).

Pellis mollissima, pilis canis & ex nigro cinereis eleganter picta.

Ingentes & extantes habet oculos, nigros, aspectu pulcherrimos, aures parvas, dentes acutissimos, quibus exquisitè mordet; Plerique enim maligni sunt: Noster fatis mitis est; non appetit morfu digitum, ori ipsius admotum, irritato tamen fidem vix habeat curiosus. Caudam, extra saltum constitutus, gratò aspectu, tergo apprimat, Petauristam verò agens, demittit, hinc inde agitans. Vescitur pane non conditò sale, & summitates Betulæ recentes in deliciis habet, nuces non curat, neque Amygdalas. Lectum ex musco Betularum egregiè disponit, eundemque pedibus, mirâ facilitate attrahens, in ipso quasi sepultus jacet; interdum eodem non nisi sollicitatus, aut siti pressus, exit.

Quod ad ejus instrumentum volatorium attinet: Cutis à lateribus instar veli, ad palmam ferè expandi potest, quod ipsum velum posteriorum pedum genibus adhæret, cum anterioribus verò articulationi ossæ connectitur: Ad extremitatem modò dictæ articulationis cutis quasi plumosa.

Ubi quietus confidet, aut gressus naturales facit, articulatio hæc, cum pedibus parallela distingui nequit; quamprimùm verò saltum facit, movetur illa, & cum anteriori pede angulum quasi rectum format, unde cutis, prout antea dictum, expanditur, quamvis etiam validus paniculus carnosus, integram cutem permeans, saltum fortiter secundet.

Hinc colligo, Animalculum hoc proprie non volare, sed loca, quæ sibi proposuit, magis dif-
fita, faciliùs, ac reliqua animalia sui generis
saltu attingere, saltusque majores perficere posse,
quod velis suis mediantibus, diutiùs in aëre morari
valeat.

Cum hoc Sciuro nostro volante conferatur
Vespertilio admirabilis Bontij, in *Hist. Nat.*
& *Med. Ind. Orient. cap. XVI. apud Pison.*
p. 68.

Ipse Piso dubitare voluit, an *Vespertilionum* fa-
miliæ adscribendus esset, “ Quod felis sit magni-
tudine, ventre & pectore crasso, & carnosio,
“ item, à cervice capitis, ad unguium usque ex-
“ tremitatem, membrana continuata, instar veli ex-
“ pansi penè cooperiatur; adde, quod velum hoc
“ subtus quidem membranaceum, ut in aliis, lanu-
“ gine venulis & fibris obductum appareat, sed
“ extus perpetuis mollissimis pilis; cuniculorum
“ more, canis & ex nigrocineris, mirum in mo-
“ dum vestiatur; tum quoque plicis illis, quibus
“ alæ, more aliorum, contrahuntur, & relaxantur,
“ destitutus, *longitudinis* autem sit trium ferè pedum,
“ ejusdemque latitudinis.”

Quod verò, ut Bontius asserit, hujusmodi *Vesper-*
tiliones admirabiles gregatim, anserum sylvestri-
um instar, volitent, illud ipsum, mole hujus anima-
lis, ejusque structurâ, rectè perpensa, mihi persua-
dere non possum, quin potiùs existimem, ad Sciuros
nostros volantes talia animalia propriùs accedere,
eademque velis suis, prout nostros, eundemque in
finem, uti. Nec obstat fides Bontij in eo, quod
circa

circa vesperam in aëre, vel arboribus penduli conspiciantur; quin potius inde evinci poterit, illos vespertiliones æque ac Sciuros nostros volantes interdum dormire, circa vesperam verò, latebras suas derelinquere, atque arbores per saltus frequentare, itaque tanquam Petauristas velut pendulos in aëre conspici, saltu autem absoluto, in arboribus pendulos inveniri.



De cætero, nam hi Vespertiliones admirabiles, pari jure, quo Gesnerus *Sciuros* nostros *volantes* dixit, appellari queant, *Feles volantes*, de eo non adèd sollicitus sum.

Coronidis loco notandum, rei veritate niti, quod Gesnerus ex Vincentio Beluacensi & Olao Magno refert; Sciuros, vulgares quando aquam transire cupiunt, lignum levissimum aquæ imponere, eique insidentes, & cauda (*non tamen, ut vult, erecta, sed continuo mota*) velificantes (*nequè flante vento, sed tranquillo æquore*) transvehi; quod fide dignus fidusque meus Emissarius ad Insulas Gothlandiæ plus simplici vice observavit, & cum spoliis in littoribus ibidem collectis redux mirabundus mihi retulit.

Fig. 4.

Fig. 3.

Fig. 2.



A Scale of 8 Inches




Fig. 2.




Fig. 1.



of 8 Inches



I. Mynde sc.



J. Mynde sc.